les dies usque ad diem praefatum deduximus. et ille mul
tum gaudebat. deoque gratias agebat. quia sic meruisset
infirmari. Referebat. et saepe dicebat: flagellat
deus omnem filium quem recipit. Et multa alia de
sancta scriptura. sententiam quoque sancti ambrosii. non sic
uixi. ut me pudeat inter uos uiuere. sed nec mo
ri timeo. quia bonum dominum habemus. In istis autem diebus
duo opuscula multum memoria digna. exceptis
lectionibus quas accepimus ab eo. et cantu psalmorum.
facere studebat. euangelium scilicet sancti iohannis in
nostram linguam ad utilitatem ecclesiae conuertit. et de
libris rotarum ysidori episcopi excerptiones quasdam.
dicens. nolo ut discipuli mei mendacium legant. et
in hoc post obitum meum sine fructu laborent. Cum
uenisset autem tertia feria ante ascensionem domini.
coepit uehementius egrotare in anhelitu. et modicus
tumor in pedibus apparuit. Totum autem illum diem
ducebat. et hilariter dictabat. et non nunquam inter alia
dixit. Discite cum festinatione. nescio quamdiu
subsistam. et si post modicum tollat me factor meus.
Nobis autem uidebatur quod suum obitum bene sciret. et
sic noctem in gratiarum actione peruigil duxit. Et
mane illucescente. id est quarta feria. praecepit di
ligenter scribi. quae coepimus. Et hoc facto usque
ad tertiam horam ambulauimus deinde cum reliquiis
sanctorum. ut consuetudo illius diei postulat. Unus uero erat